

quin potius ipsa ministeriorum quae dignitates & officia appellantur *b)*, ratio ingenuos ministeriales desiderabat *c)*.

II.

Ex adstrictiori ministerialium nexu illud hoc loco repetere iuuabit, quod personalis illa ad ministeria obeunda obligatio ad eorum posteritatem propagata sit, libera ipsorum ut plurimum conuentione, vsuque & obseruantia Germaniae id comprobante; ut videlicet & posteris largitiones & commoda beneficiorum conciliarent, dum eisdem eos officiis obnoxios reddebant. In variis conuentionum formulis, parentes liberos suos, natos & nascituros, huic nexui subiecisse legimus. Henricus & Otto de Barmstede ministeriales ecclesiae Bremensis facti, a. 1257. fidem faneiebant, *d)* *se sicut ministeriales fideliter perpetuo seruituros; uxores nostrae, libe-*

78

b) In publico iudicio, quod Conradus II. aduersus nimiam Ministerialium Corbeiensium potentiam tulit in diplomate a. 1150. apud EDM. MARTENIVM in *Collect. monum. Ampliss. tom II. p. 687.* nominantur & describuntur ministeriales, & inter eos *dapiferi* & *pincernae* & reliqui qui ministerii locum in domo Corbeiensis Abbatibus tenent, quam dignitatem vulgari nomine officia appellant.

c) Hanc causam luculentis argumentis instruxerunt Viri illustres, DAV. GE. STRUBEN. in *obsruat. obs. II. de ministerialium dignatione p. 44.* & CHRIST. LVDOV. SCHEIDT *von Hohen und Nieder Adel in Teutschland §. 20. & sq.*

d) vid. Charta apud LVNIGIVM in *spicil. eccl. Part. I. foris. in app. tom. XVI. Arch. Imp. p. 114.*

ri nostri, iam nati & adhuc nascituri, idem facient. Femina nobilis Engila de Sandolteshulen ecclesiae Frisingensi seculo XI. se tradidit ea conditione; *ut ipsa omnisque posteritas illius legitimorum ecclesiae seruientium iure & lege uiuerent e).* In diplomate Conradi Comitis Luxemburgensis, Abbatiae S. Maximini anno 1135. dato *f)*, recensentur ministeriales, qui *ius ministerialium a praedecessoribus suis integritate generis & conditionis obtinuerunt.* Itaque posterius utriusque sexus ex paterna vel auita conuentione facti sunt ministeriales, & feminae subinde sponte eundem nexum subire non dubitarunt. Habet inde media aetas *feminas ministeriales* non minori numero ac masculos, easque non minus in nexu *procerum imperii* quam in nexu *imperatoris & imperii* consistentes: quod cum mirum videri possit perpendiculari, sequiorem sexum, in aliis omnibus occupatum, a ministeriorum functione solere esse alienum, rationes huius instituti expendere, & de *femina ministeriali* quaedam commentari non prorsus iniucundum fore arbitror.

III.

Ministeriales feminas fieri & nasci apud Germanos, exemplis pluribus edocemur. *Fiebant* propria conuentione; & feminas facile cepit quaedam pietatis opinio, qua se suos-

A 3

que

e) Chartam habet CAROL. MEICHELBECK *hist. Frising.* tom. I. p. II. p. 526.

f) in V. R. 10. NIC. ABHONT-HEIM. *histor diplom. Treuirensi* tom. I. p. 528.